





*G. 12. num. 17. ~~Aut.~~  
1764, 2. 15*

§

ORDINIS IVRIDICI DECANI

GEORGII HENRICI  
AYRERI D.

AD

VIRI PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQVE  
CHRISTOPHORI SCHMIDT  
DICTI PHISELDEK

NORDHEIMENSIS

SOLEMNIA INAVGVRALIA  
INVITATIO.

*P. 91*

---

PRAEMISSA EST

DE

CONSVETVDINE LEGEM VINCENTE

BREVIS COMMENTATIO.

---

GOTTINGAE

EX OFFICINA SCHVLTZIANA

M DCCLXIII.



OPINIO IUDICIS REGNI

GEORGIUM PRIMUM

IN PARLIAMENTO

IN PARLIAMENTO

CHRISTOPHERUS

DE PARS

SCIENTIA

\_\_\_\_\_

IN PARLIAMENTO

TO

CONSTITUTIONE


DE COMMUNITATE

\_\_\_\_\_

EX OFFICIO

EX OFFICIO

DE





§. I.

**N**on incongrue olim Persae Satrapas oculos Regis, vti  
Nauricularios exploratores Regis aures vocarunt, per  
illos Regem omnia videre, per hos, quae vbiunque  
a quolibet gererentur, audire, indicaturi 1). Nec mi-  
nus apposite LEO Imperator, dictus Philosophus 2), ad  
corrigenas veteres leges non contemnendi alios studio,  
nec gloriae cupiditate, sed, vt, *quod conducibile non est,*  
*quoad eius fieri posset, a subditorum consortio remoueret,*  
procedens ac secum perpendens, ad moderandam remp.  
legum rectam constitutionem omnium esse praestantissimam,  
ei assensum praebuit suum, qui, *leges reip. oculos esse,*  
*dixerit. Quemadmodum enim, quam peridoneam statim*  
*addit rationem, res maxime necessaria est animali non*  
*titubans oculus; ita & reip. legum aequus & rectus sta-*  
*tus.* Certe quum Reges ac principes, licet ceteroquin  
Dei omnipraesentis & omniscii in hoc terrarum orbe Vi-  
carii recte dicantur, aequae ac illi, qui eorum vices in

1) Vt refert SUIDAS in Lexico v. ὀφθαλμὸς βασιλέως T. II.  
P. 747. edit. LVBOLPHI KVSTERI.

2) Nov. XIX.



gubernanda rep. gerunt, homines sint, vtut oculatiores & perspicaciores aliis, atque hinc neque praesentes vbique esse, neque videre, aut scire queant, quid boni maliue a ciuibus suis suscipiatur agaturue, legibus posituius omnino & ministris custodibusque legum, magistratibus scilicet ac iudicibus, per vniuersum imperii sui ambitum, opus habent, vt omnia ad salutem populi, supremam illam sanctissimamque legem, dirigere possint, atque secundum diuini PLATONIS 3) praeceptum 4) totum corpus reip. curare, ne, dum partem aliquam tuerentur, reliquas deserant.

## §. II.

Vtrum vero felicior sit societas ciuilis, quae legibus, siue iure scripto, an, quae consuetudinibus tantum, siue iure non scripto, regitur, quaestio est iam dudum inter viros doctos in vtramque partem disputata. Si veterum prudentiae ciuilis doctorum nonnullos audiamus, illa demum resp. beata dicenda est, quae paucis tantummodo legibus vtitur. Neque a vero procul absunt, qui cum ISOCRATE 5) multitudinem legum, quippe quae aduersam potius coetus ciuilis valetudinem, quam secundam, prodit, pro signo mali status reip. habent. Vnde TACITVS, deprauatos Romanorum mores turbidaque tempora describens, *corruptissima rep. plurimas leges fuisse, con-*

3) De Rep. L. I. iuncto L. VII. vbi monet, hoc legis laevi curae non esse, vt vnum quoddam genus in ciuitate imprimis sit beatum, sed vt tota ciuitas.

4) Apud CICERONEM de offic. L. I. c. 25. §. I.

5) In orat. Aueopagit.



memorat. 6) SALLVSTIVS 7) contra scribit, apud veteres *ius bonumque non legibus magis, quam natura, valuisse*. Inter recentiores MATTHIAS BERNEGGERVS 8) ius consuetudinarium iuri scripto longe antepoluit multosque alios in sententiam suam traxit. Ast graues dissensus sui rationes adduxit AVGVSTINVS LEYSERVS 9), ab inconstantia & mutabilitate iuris non scripti potissimum petitas, quippe quod eo incertius est, quo magis a varietate morum & arbitrio vulgi, saepe studia in contraria scissi, pendet, atque, vt CELSVS 10) innuit, non semper ratione introducitur, sed errore saepius obtinetur, vsuque prauo non minus, quam recto, stabilitur.

### §. III.

Sed quamuis tam certum sit, quam quod certissimum, nullam ciuitatem sine legibus esse 11), nedum feliciter administrari posse, quinimo in legibus salutem ciuitatis sitam esse 12), quum vbique sint mali ciues mixti bonis & nusquam non a morum innocentia & virtutis tramite sit publice ad vitiorum decliua discessum, quin etiam intra eadem moenia habitantes maxime plerumque sibi inuicem insidientur; historia tamen omnium temporum populorumque omnium docet, consuetudinem, moribus diuturnis vrentium introductam, dum-

6) *Annal.* III. 27.

7) *Caes.* X. I.

8) In *Quaest. miscell.* ex TACITO desumptis & a IOH. FREINSHE-

MIO editis N. CXII. sq.

9) *Medit. ad pand.* sp. IX. m. I.

10) In l. 39. ff. de *Legibus senatusque consult.* & *longa consuetud.*

11) Quod maxime vrget CICERO *parad.* IV. c. 1.

12) Vt scribit ARISTOT. *Rhetoricor.* I. 4.



modo, nisi iam sit notoria, cum omnibus, quae ad illam requiruntur, legitime probetur \*), eandem potentiam atque vim cum lege habere. Hinc, sicuti lex mutari aliaque lege tolli potest; ita dubium non est, quin etiam consuetudo idem efficere legemque antea latam non solum limitare, sed etiam tollere, atque adeo vincere queat 13).

#### §. IV.

Quid? quod, duplici ratione haec consuetudinis vi-  
ctoria intelligi potest. Primo, quando illa ius nouum,  
de quo nihil antea expresse cautum erat, praeter leges  
inducit. Namque haec, ut bene ait IULIANVS, 14) non  
ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque incide-  
rint, comprehendantur, sed sufficit, ea, quae plerumque  
accidunt, contineri. Ideo secundum eundem 15), cum  
in aliqua causa sententia earum manifesta est, ad similia  
procedere, de quibus causis e contrario scriptis legibus  
non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consue-  
tudine inductum est 16). Haec itaque legibus multo la-  
tius

\*) Quod quomodo fieri debeat, pluribus ostendit DIET. HERM. KEM-  
MERICH in libro sing. de probat. consuetud. & obseruantiae, tunc  
publ. quam priuatae. Quando vero haec probatione opus, & quid  
probandum sit, breuiter exponit PERILL. L. B. a SENCKENBERG  
in Diss. de Iure obseruant. ac consuetud. in causis publ. & priuat.  
§. VII. & in libello juris studiosis totum jurisprudentiae campum  
perambulare omnesque eiusdem partes connexa ratione addiscere  
cupientibus utilissimo, Einleitung zu der ganzen in Deutschland  
üblichen Rechtsgelehrsamkeit Cap. IV. §. 6. seqq.

13) Adi, si placet, qui more sacerdotum iuris rationes dubitandi  
hic subnatas sigillatim excussit, Doctorem Angelicum, THOMAM  
AQUINAT. in Summa totius Theol. l. 2. Qu. 97. Art. 3.

14) In l. 10. ff. de Legibus.

15) l. 12. cod.

16) l. 32. ibid.





tius patet longeque plura complectitur, ac *magnae aucto-  
ritatis ius habetur, ut PAVLVS ICTus tradit 17), in tan-  
tum probatum, ut non fuerit necesse scripto id comprehen-  
dere.* Quam ob causam etiam ARISTOTELES, 18) plus  
valere & in rebus maioris momenti versari leges moribus  
adprobatas, quam quae ex scripto tantum constant, testa-  
tur. Deinde vero eatenus consuetudo legem vincit,  
quatenus contra eam inualuit. Vnde vulgaris consuetu-  
dinis diuisio in introductiuam & correctiuam siue abro-  
gatoriam euata est 19).

§. V.

Valde quidem hic ob stare videtur constantini M.  
effatum 20): *Consuetudinis vsusque longaevi non vilis  
auctoritas est, verum non vsque adeo sui valitura momen-  
to, ut aut rationem vincat, aut legem.* Ad hunc iuris  
textum, a GRATIANO inter canones quoque relatum 21),  
cuius sensus dubius tot ICTorum ingenia vexauit, com-  
mentatus IO. BRUNNEMANNVS, in variis eiusdem, quarum  
nonnullas recenset, explicationibus se nihil quidem ab-  
furdi, in omnibus tamen difficultatem vidisse, professus  
est. Sed non adeo difficilis explicatu visa haec lex aliis,  
qui verbis accuratius penitatis veram eius mentem asse-  
qui studuerunt. Quod enim ad prius posterioris propo-  
sitionis membrum attinet, quo consuetudini vis rationem  
vincendi denegatur, dispiciendum ante omnia est, de  
quali

17) l. 37. ibid.

18) Polit. III. cap. vlt.

19) Quam distinctionem sollerti cura explicat V. A. GERARD, von dem  
BVSCH in diss. inaug. de consuetud. vnde & quando vim legis ob-  
tineat? §. 24. sqq.

20) In l. 2. C. Quae sit longa consuetudo.

21) c. 4. D. XI.



quali ratione fuerit locutus Imperator, de illane tantum, quae legem suavit, an de sana ratione generatim spectata? Illud forte arridebit ei, qui omnem inter consuetudines rationabiles & irrationabiles differentiam 22) reicere haud dubitarit, cui sententiae fauere videntur, quae PAPIRIUS IVSTVS 23) ex Diuorum fratrum, ANTONINI & VERI Augustorum, constitutionibus refert, nimirum esse tolerabilia, quae vetus consuetudo comprobat. Vnde facile quis cum BALDO 24), & qui eum sequitur, MEVIO 25) colligere possit, adesse satis iam rationis, vbi totus populus in consuetudinem aliquam consensit. Verum enim vero, si Constantinus de ratione legis suavior hic cogitasset, sine dubio clarius mentem suam ita expositurus fuisset, vt prius de lege, quam de ratione legis, diceret. Legem autem, qua ipsam quoque rationem eius suadentem, vel causam impulsuam, haud dubie iam complexus erat, quum rationi per particulas disiunctiuas opposuerit, non aliam, quam rationem naturalem ante oculos habuisse potest & *ius nat.* quae verba adeo in ipso quidem fonte non extant, sed forsitan declarationis gratia in Cod. Rom. adnotante B. BOEHMERO 26), addita deprehenduntur. Verissimum praeterea est, multitudinem errantium nequitiam parere patrociniū errori. Neque

22) Quam late exponit GE. AD. STRVV. in Diss. de consuetud. rat. & irrat. De prauis & irrat. consuetud. speciatim egit IO. RICHER-  
IIVS.

23) In l. 13. ff. de pollicitar.

24) In l. 2. C. Quae sit longa consuetud.

25) P. II. D. 378. n. 67.

26) Ad cit. c. 4. Diff. XI. conf. eiusd. praef. de varia Decreti GRATIA-  
NI fortuna §. XVI. extr.



hinc consuetudines, quantumvis insolitae, inde statim rationabiles dici queunt, quod totius alicuius ciuitatis vel gentis calculo probatae sint. Quin potius multas rationi sanae manifeste aduersas in ipsa Germania nostra, prisco & medio praesertim aeuo, vel ex crassa ignorantia, vel ex superstitione ortas esse, quae recentioribus temporibus legibus adeo publicis abolitae sunt atque damnatae, pluribus constat exemplis. Quamuis in eo facile consentiam, quod, donec abrogentur a legumlatoribus etiam rationi minus consonae consuetudines, sed ab actibus illicitis profectae, temporis tamen lapsu auctoritatem nactae, valeant & secundum illas a iudicibus sit pronuntiandum, neque puniri possint, qui iudicio populi qualicumque communiter receptas ac toleratas sequuntur adeoque publica via errant, cum, ut bene monet GVNDLINGIVS 27) verba SENECAE \*) *mutuatus, venia necessaria est, ubi totus deseruit exercitus.* Facilius itaque concedo in alteram sententiam, secundum quam sermo in allata lege est de consuetudine rectae rationi repugnante. Quo etiam GREGORIVS IX. P. R. illam totidem fere verbis repetens 28) respexit, cum consuetudini rationabili & legitime praescriptae vim tribuit iuri positio derogandi, consuetudinem contra quamcunque iuri nat. aduersantem verius corruptelam dicendam esse, pronunciauit. Ad tuendam hanc interpretationem admodum probabili coniectura est  
vsus

27) In *Gundlingianis* P. VI. N. III. *Von dem Gewohnheits-Recht*, in fine §. VI. DOM. a. 5070 L. I. de I. & I. Qu. VII. art. 2. Conf. IO. PAUL. KRESSII *Diss. de Iure summo injuria summa* cap. VI. §. II. n. 22. & *eiusdem orat. de relig. iudicant.*

\*) De *Ira* L. II. c. 10.

28) c. XL. X. *de consuetud.*



vsus de cetero etiam haud infelix legum interpretis, GERHARDVS NOODTIVS 29), eamque inprimis LACTANTII 30) & SYMMACHI 31) testimoniis munit. Putat nempe; Constantinum M. posteaquam Christianorum sacris se ad-dixisset, ista constitutione errori gentilium obicem po-nere voluisse, qui antiquo Deorum cultui longa consue-tudine probato inhaerentes eiusdem mutationem vel ex vetustatis reuerentia pro scelere reputabant, atque hinc illam principi illicitam esse, sibi temere persuadebant. Eandem explicationem, quae neque GYNDLINGIO 32) displicuit, B. REINHARTIVS etiam est amplexus 33). Quod autem posterius adductae propositionis membrum concernit, praeclare illud interpretatur IOSEPHVS AVE-RANIVS 34), verba antecedentia *sui momento*, utpote non frustra ab Imperatore adiecta, praecipue obseruanda esse, probe monens, atque ex pari plane legis & consuetudinis vi atque efficacia inferens, consuetudinem vincere legem, non quia sit hac potentior, sed quia sit posterior, sicuti lex legem vincat non sui momento, vel propriis viribus, sed ratione temporis & ob mutatam legislatoris volunta-tem. Alio modo soluit nodum, quem hic interpretes otiose magis, quam scite, connexerunt, DIONYSIVS GOTHOFREDVS, 35), inter consuetudinem specialem & generalem distinguens, illaque generalem legem non ac-que

29) In *Comment. ad Tit. ff. de Legibus.*

30) *Div. Instit. L. I. c. I. & L. II. c. 7.*

31) *Lib. X. Ep. 154. vbi pro ara victoriae pugnat.*

32) *l. c. §. XIX. seqq.*

33) *Ad CHRISTINAEVUM Vol. IV. Obs. XII. & L.*

34) *Interpret. Iur. L. II. c. I. n. 3. fqq.*

35) *Not. q. ad l. 5. c. Quae sit longa consu.*



que, ac specialem, hac vero generalem etiam legem tolli posse, statuens; sicuti versa vice consuetudines speciales per leges generales, vti Perill. STRVBEN 36) contendit, non abrogantur. Euanesçit igitur, quae ex famosa illa lege obmoueri solet, contradicçio, simulac vltima eiusdem verba solum, vti debent, de posteriore lege, consuetudinem aliquam veterem specialiter prohibente, quae hac ipsa fortior omnino est, intelliguntur, neque ad legem anteriorem, quae consuetudine contraria propter eandem legis & consuetudinis vim obligandi idemque vtriusque momentum & aequalem auctoritatem tolli potest, trahuntur; qua ratione antimoniam apparentem etiam Perill. L. B. de CRAMER 37), &, qui eiusdem vestigia pressit, SIGISM. FRID. KOENIG 38), sustulerunt.

### §. VI.

Nihil sic amplius obstabit iis, quae tam in Institutionibus, quam in Pandectis, hac de re occurrunt. Ita IUSTINIANVS Imp. 39) diserte docet, *naturalia quidem iura, quae apud omnes gentes peraeque obseruantur, diuina quadam prouidentia constituta semper firma atque immutabilia permanere, ea vero, quae ipsa sibi quaeque ciuitas constituit, saepe mutari solere vel tacito consensu* po-

36) In Rechl. Bedencken T. I. N. CXXXV. pag. 319.

37) In Diss. de optima iura docendi methodo, §. XX. opusc. T. III. pag. 242.

38) In Diss. inaug. de Iure consuetudinario §. XXI.

39) §. II. I. de I. N. G. & C.



populi, vel alia postea lege lata. Nihil autem interesse, suffragio populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis & factis, egregie monet IULIANVS 40), postquam, inueteratam consuetudinem pro lege non immerito custodiri, & hoc esse ius, quod dicitur moribus constitutum, tradiderat, tandem ita concludens: *Quare rectissime etiam illud receptum est, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Quae tamen hic de consuetudine legem priorem abrogante dicuntur, ad statum reip. Rom. democraticum, in quo penes populum potestas legislativa fuit, spectare, nec statui monarchico, in quo de tacito principis consensu saltem generali vel conuientia & probabili patientia constare debet, conuenire, vel me tacente, quilibet facile intelligit 41). Si denique, ut Imp. LEO & ANTHEMIVS rescripserunt 42), *leges quoque ipsas antiquitus probata & seruata tenaciter consuetudo imitatur & retinet;* non solum, uti GOTHOFREDVS vltimum verbum explicat, tanquam optima legis interpres 43), impedit, quo minus lex, quae in dubio semper vigere praesumitur, desuescat, sed etiam, quum iidem Imperatores, quod consuetudinis esse cognoscitur, perpetuae legis vicem obtinere, statuunt, procul dubio vis eius etiam ad tollen-

40) In l. 32. §. I. ff. de LL.

41) Vid. GVDELINVS de Iure nouiss. L. V. c. 2. VOET. ad Tit. ff. de LL. n. 37. VINNIUS ad §. 9. I. de I. N. G. & C. Perill. P. FENDORFF. T. I. Obf. 198. de Legum desuetudine & VON DEM BVSCH Diss. cit. §. XXVII.

42) In l. 3. C. Quae sit longa consuet.

43) Ita CALLISTRATVS vocat consuetudinem in l. 37. ff. de LL. quae de interpretatione legis usuali accipi solet.



lendam legem antea latam sese extendit 44). Desuetudo vero consuetudinem secum fert, quandoquidem qui vni rei desuescit, alii consuescit, & qui desinit obseruare legem scriptam, aliud quidpiam eidem contrarium obseruat 45). Vnde quod, exolescente lege, per consuetudinem recipitur, ex sententia NOODTII 46) perinde obtinet, ac si lex expressa, quamuis clausula ei derogatoria fuisset adiecta 47), nunquam in rerum natura extitisset.

### §. VII.

Neque aliter, ac Romani, hac parte senserunt Germani nostri, apud quos, teste TACITO 48), *olim plus valere boni mores, quam apud illos bonae leges, & quod instituere maiores, posteri imitari consueuerunt, vt adeo haud male illud PLAVTINVM 49): vt bene viuatur, diu viuatur, si ita verba cum supra laudato SENCKENBERGIO, vt diu viuatur, bene viuatur 50); inlectere lubet, accommodari genio ipsorum possit. Sed simul etiam dolendum est, tot consuetudinibus Germaniam abundare saepe sibi inuicem contrariis, vt, quo te vertas, cuiue earum tuto fidere possis, nescias. Neque in eam amplius*

44) Quod pluribus executus est CHR. LVD. CRELLIUS in Diss. de orig. & virtute juris non scripti.

45) Sic rem cum duobus actibus hic concurrentibus, sublatione ac positione, explanat GVNDLING l. c. §. XXI. sqq.

46) l. c. in fine.

47) Vid. HERTII Diss. de lege clausula, vt abrogari nunquam possit, munita.

48) De M. G. C. XIX. & XXXII.

49) *Trinum*. l. 2. 27.

50) Diss. cit. §. I, extr.



plius hodie per omnia laus TACITI 51): *Nemo illic vitia ridet, neque corrumpere & corrumpi seculum vocatur, sed melius illud PLAVTI 52) quadrat: interim mores mali, quasi herba irrigua succreuerunt vberime.*

### §. VIII.

Habent vero hoc nostrates cum aliis populis commune, vt legibus scriptis praeferant ius non scriptum, quoniam hoc illis antiquius est 53), & Germanis, vtut literarum haud plane imperitis, serius iura scripta innotuerunt. Quemadmodum etiam consuetudo, in singulis considerata 54), haud immerito vocatur altera s. adfinitia natura, quae, licet *expellas furca, tamen vsque recurrit*; ita in vniuersum spectata, quatenus sumitur pro moribus s. tacito consensu populi, vbi quisque, vt SENECAE verba 55) in vsus nostros conuertamus, *sequitur priores male, bene iter ingressos, & alter alteri vitiorum aequae, ac virtutum, exempla praebet*, per diuturnum vsum in

51) De M. G. c. XIX.

52) Ibid. l. I. §. sq.

53) Vt MURETVS adnotauit ad §. IX. I. de I. N. G. & C. edit. ION. VAN DE WATER. p. 30. Conf. IO. CHRISTER. SAGITTARIJ Diss. de *legibus non scriptis*. §. 18. & HENR. SAM. REYMARI cogitationes de *legibus Moisaicis ante Moysen*. Add. GOGVETI opus bonae frugis plenissimum, ab Excellentiss. HAMBERGERO e gallica in linguam vernaculam translatus Von dem Ursprung der Gesetze, Künste und Wissenschaften. T. I. L. I. c. 1. seqq.

54) De huius consuetudinis, a teneris gliscens & actionibus passionibus sensim in immensum crescentis, vi ac potestate elegantissime, vt solet, disserit Ill. RICHTERVS in pr. de *lege consuetudinis conciliata cum legibus medicis*.

55) De ira. L. II. cap. 9.





inuetērato 56), tanquam lex patria 57) & a maioribus tradita atque vetustate vulgo comprobata 58), plurimis gratior acceptiorque esse solet omni lege scripta, s. praecipiente, s. prohibente. Quo sensu THUCYDIDES 59) apud GROTIUM 60) *humanam naturam legum victricem dixit*. Nec minus ingenue hominum inclinationes aperuit poeta ita canens:

*Nititur in vetitum semper cupimusque negata.*

Cur vero moribus propensius lubentiusque obsequi soleamus, quam legibus latis, rationem non longe arcessendam esse, quilibet viderit, ad innatum homini amorem sui & libertatis studium oculos & animum reflectens. Hanc vero reddit SVIDAS 61): *Consuetudo non est inuentum hominum, sed vitae & temporis, ac lex quidem similis est tyranno. Cum terrore enim omnia imperat. Consuetudo vero magis similis est regi benigno & humano. Omnes enim absque necessitate & sponte ei parent* 62).

§. IX.

56) Vti habet VLIPIANVS in *Fragm. Tit. I. §. 4.* ap. SCHVLTING. in *iurisp. anteuustiniana* p. m. 563.

57) Ita PLATONI L. VII. de *Legibus* & ARISTOTELI *Polit. II. 8.* νόμος ἀρχαῖος vocatur νόμος παλαιός.

58) vt CICERO consuetudinem describit. de *Inuent. II. 54.*

59) *Histor. III. 84.* p. 226. edit. CAR. ANDR. DVKERI.

60) de I. B. & P. L. II. c. 12. §. 26.

61) V. *Ἰδὸς* T. I. pag. 684.

62) Conf. THOMAS. *Diss. de contentione morum cum iure scripto; Introductio BOEHMERIANA in ius publ. vniuers.* P. spec. L. II. c. 3. §. 7. MONTESQUIEU de *l'esprit des loix*. L. XIX. c. 5. §. 10. HEVMANNI *Geist der Gesetz* C. IV. §. 2. & qui fusius de praediuicio tam autoritatis, quam imitationis, imperioque consuetudinum vulgarium inter literatos non minus, quam illiteratos, late patente egit. ERN. IOACH. de WESTPHALEN in tract. *hist. de consuetudine ex sacco & libro in Germania, speciarim in Megapoli.* §. 43.



## §. IX.

Hinc legumlatores sapientes quoque in concedendis tolerandisue consuetudinibus eo indulgentiores esse solent, quo minus omnia futura contingentia prospicere, praecavere atque definire legibus possunt. Quare multa iuri non scripto relinquunt, ac proinde haud ignari, *vitia fore, donec homines* 63), & *indecorum esse attrahere, quod obtineri nequeat* 64), suavis virorum longo rerum usu subactorum ex regulis prudentiae non solum a periculosa saepe mutatione & abrogatione veterum ac iam nimium altis radicibus defixarum consuetudinum, si non optimarum & laudabilium, saltem innoxiarum, abstinent, sed etiam subinde legibus expresse promulgatis per illas derogari patiuntur 65), quum, alia minus prudentes, nimis severe alia sancita esse, animaduertunt. Quam ob rem *Draconis sanguine scriptas leges, quoniam impendio videbantur acerbiores, non decreto iussuque, sed tacito illiteratoque Atheniensium consensu obliteratas esse, refert GELLIVS* 66), alibi 67) etiam, *non verborum tantum communium veras atque proprias significationes longiore usu mutari, sed legum quoque ipsarum iussa consensu tacito obliterari*, tradens, pluraque legum XII. Tab. capita senio emortua, more publico repudiata & sepulta adeo ac situ obsita commemorans, quo spectat inprimis poena iniuriae, quam ex iisdem introductam in desuetudinem ab-

63) TACIT, *Hist.* IV. 74.64) *Idem Annal.* III. 54.

65) Causas huius patientiae exponit GYNDLING. l. c. §. VI. seq.

66) *Noët. Attic.* XI. 18.

67) XII. 13.

abiisse, IVSTINIANVS 68) meminit. Neque vero est, cur eundem morem consuetudine legem priorem abrogandi Romanis etiam vsitatum ab Atheniensibus cum AVERANIO 69) repetamus. Ipsa potius natura duce, utilitate publica suadente, illum omnes peraeque gentes ex rerum humanarum vicissitudine didicerunt atque vsu receperunt. Quam instabiles enim atque mutabiles sint leges complures, etiam summa prudentia latae, egregie docet consularis oratio apud LIVIUM 70), in qua praecipue de castigandis matronis & coercenda luxuria muliebri quaestio erat. Ita vero verba habent: *Ego enim quemadmodum ex his legibus, quae non in tempus aliquod, sed perpetuae utilitatis causa in aeternum latae sunt, nullam abrogari debere, fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublicae inutilem fecit; sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quae in pace latae sunt, plerumque bellum abrogat, quae in bello, pax: ut in navis administratione alia in secundam, alia in adversam tempestatem vsui sunt.* Eundem fere in modum ratiocinatur, quem colloquentem GELLIUS 71) inducit, Sextus Caecilius Ictus, ubi cum Fauorino Philosopho de legibus XII. Tab. disputans *non profecto ignoras, inquit, legum opportunitates & medelas pro temporum moribus & pro rerump. generibus ac pro utilitatum praesentium rationibus proque vitiorum, quibus medendum est, feruoribus mutari*  
at-

68) §. 7. I. de Iniur.

69) Interpret. Iur. II. I. 1.

70) XXXIV. 6.

71) XX, I. 22.



atque flecti, neque uno statu consistere, quin, uti facies coeli & maris, ita rerum atque fortunae tempestatibus variantur. Pluribus hæc exemplis iisque non peregrinis solum, sed etiam domesticis in causis tum priuatis, tum publicis comprobari possunt, quae passim ab aliis 72) sunt congesta 73).

### §. X.

Temporibus itaque quum inseruiendum, iisque mutatis legum quoque mutationi dandus sit locus; consuetudinum a legibus scriptis, quarum antiquatio alias ad usurpationem potestatis legislativae refertur 74), deuiantium tolerantia quidem penitus vituperari nequit. Sed, uti in omni consuetudine ratio, quae illam iuasit, sollicitè examinanda est 75), &, monente IUSTINIANO 76), male adinuenta malaeque consuetudines neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmantur; ita, quoties salus publica id postulat, bonae leges, quae malis mo-

72) Vid. KVLTSIVS de observantia Imp. IMM. WEBER de iure publico non scripto. THOMAS. de iure consuetud. & observant. 10. PHIL. CAR. RA CHII paradoxa de observantia imp. HALTAVS de iure publ. S. R. I. non scripto, & scriptum, quod sub tit. der wahre Begriff des Herkommens. Rostochii & Wism. 1751. prodit.

73) Sola Aurea Bulla, quae primum inter leges S. R. I. fundamentales locum tenet, ipsaque plurimam partem ex antiquis consuetudinibus collecta & per observantiam contrariam in variis capitibus mutata fuit, satis abunde id testatur. Vid. BRYNNEMANNI diss. de mutatione A. B. IMM. WEBER in diss. de chrysobullae capitibus vel nunquam observatis vel immutatis.

74) Vid. Clariss. CAR. FRID. MEISNERI comment. philof. II. de bonis civitatum primariis §. XXV.

75) Vid. L. I. C. Quae sit longa consuetudo.

76) Nou, 134. C. §. extr.



ribus, *vitiarumque firma*, quam notat MACROBIUS, 77) *concordia*, obstinatione civium atque in abusibus privatum proficuis, sed publice noxiis, & erroribus, quibus ineanescere ac immori, quam renunciare, malunt, tuendis pertinacia irritae factae sunt, prouida superiorum cura reuocandae, & vel pristina iis autoritas restituenda, vel noua legislatione aegrotranti reipublicae omni meliori modo atque serius ocyus parata medicina succurrendum est. Quod autem fieri aliter non poterit, quam si iura incerta ex tot variis & vitiosis consuetudinibus orta regulas ad certiores reducantur, quas ne impune quis violet, aut temere contemnat, magistratum inferiorum & iudicum vigilantium non minus est cauere, quam eorum, qui in scholis & ecclesiis docent, monent, hortantur, cum illis efficere, *ut ciues, ex quorum moribus conformantur ciuitatis mores, animis instrum habeant iustitiae studium & obsequium legum. Nam homines male instituti leges etiam exquisitissimas negligere audent: qui autem recte & constanter educati sunt, atque magnitudini animorum assuefacti, si demum bonis legibus volunt obtemperare.* 78) Sed diutius his immorari angusti huius scriptionis cancelli vetant. Ansam ei praebuit

VIR PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS  
 CHRISTOPHOR. SCHMIDT dictus PHISELDEK,  
 laudabilem pariter ac memorabilem vitae suae cursum  
 inquitamque studiorum rationem his ipse verbis complexus:

Lucem

77) *Saturnal.* II. 17.

78) En praeclara Ethnici oratoris statua cohonestati monita, non factis inculcanda, quae in oratione Areopagitica s. senatoria occurrunt & quibus respondet illud SOPHOCLIS in *Antig.*

*Nec ulla pestis peior imparenia est.*



Lucem adspexi Nordhemii die nono Maii 1740. Pater mihi ex-  
 stitit CONRADVS CHRISTOPHORVS WIEGMANNVS SCHMIDT,  
 dictus PHISELDEK, patriae Ciuitatis Camerarius, dum viueret, me-  
 ritissimus, cuius memoriam, tanquam Viri probi, docti atque ho-  
 nesti, omnes ibi ciues grata adhuc mente colunt: matre vero  
 CLARA FRIDERICA, *Ioannis Christophori Rumanni*, Centurionis  
 quondam Hannouerani filia, pientissima vtor. Patre optimo, id  
 quod lugeo vehementer, praematura mihi, qui tres vix annos ha-  
 berem, morte erepto, omnis educationis meae cura soli matri in-  
 cumbebat, quae ideo summum in eo studium collocavit, vt illam  
 mihi bonam saluberrimamque praeflaret. A teneris enim vngui-  
 culis doctissimis me tradidit praeeptoribus, &, tam sanctissimae  
 religionis nostrae, quam ceterarum, quibus id temporis indiget  
 iuuentus, scientiarum principiis me imbui, ingenue curavit. De-  
 inde auunculus, Vir Amplissimus, *Ioannes Levinus Christophorus  
 Rumann*, primus Praefectus Regius in Praefectura Calenbergensi,  
 educationis institutionisque meae curam aliquot per annos bene-  
 uole in se suscipiens duces studiorum optimos, in quibus praefec-  
 tum Virum Reuerendum *Reidemisterum*, diuini verbi Wilkenbur-  
 gae interpretem, veneror, mihi constituit, quibus docentibus, quae  
 Humaniora vocari solent, addidici. Anno aetatis decimo quarto  
 Nordhemium redux studia mea ibi in schola publica auspiciis  
 Rectore *Poten*, & Conrectore Magistro *Stolten*, Viris in omni  
 eruditionis genere versatissimis, prosequutus sum vsque ad seculi  
 annum LVII. quo Musis patriis valedicens Georgiam Augustam  
 me contuli & ciuibus academicis, Illustri *Ayrero* tunc temporis fa-  
 fces tenente, inscriptus fui. Haec per duo & quod excurrit, an-  
 nos Doctores & Praeceptores habui Viros Excellentissimos atque  
 Amplissimos *Becmannum* iuniorem in Logica & Iure criminali,  
*Weberum* in Metaphysica, *Becmannum*, magnorum celeberrimo-  
 rumque Fratrum natu maiorem, in Iure Naturali, Institutioni-  
 bus iuris Ciuilibus & Theoria Processus; Illustrum *Bochmerum* in  
 Iure Canonico & Digestis Iuris Ciuilibus, Illustrum *Pütterum* in Hi-  
 storia



floria Imperii Romano-Germanici, & Iure Germanorum Publico, Excellentissimum *Achenwallium*, Patronum atque Fautorem prae ceteris summiopere deueniendum, in Historia Europaea & Notitia Rerum publicarum; Beatum *Webnerum* in Mathesi pura; Celeberrimum *Eberhardum* in Geometria practica & Consultissimum *Habernikkelium* in Iure Germanico & Collegio Practico nec non ad Pandectas Elaboratorio; audiui quoque Summe Venerabilem *Walchium*, Historiam Ecclesiasticam docentem, quorum Virorum in me merita numquam non grata ac denota mente sum recordaturus. Linguis etiam quibusdam exteris operam aliquam nauavi, Anglicae videlicet duce Clarissimo *Torzio*, iam Professore Publico in Academica Bützouiana, Italicae vero & Hispanicae auspice Celeberrimo Magistro *Eberkardo*. In Gallica, quam a prima infantia colueram, praeceptore Consultissimo *Richardo* exercitationes nonnullas habui. Anno 1759. commendatione Viri Summe Venerabilis optimeque de me meriti D. *Büsching* delatum mihi munus suscepi, mores Comitum a Münnich, qui Wologdae in exilio degebant, regendi; & mense Augusto iter in Russiam sum ingressus. Duo per annos & aliquot menses Wologdae commoratus cum Comite a Münnich, quem vna cum Patre Illustrissimo, Summo Exercituum Russicorum Praefecto, Petrus tertius Imperator exsilio viginti annos in Sibiria perpresso liberabat, anno 1762. Petropolin reuersus sum. Ibi semestre fere adhuc peregi, posteaque patriam repetii, aegre, vt vere gloriari possum, dimissus a Comitibus de Münnich, & patre & filio, quorum ille, heros tam in bello, quam pace, illustris, pristinam dignitatem consequutus summam in Exercitu Russorum imperii iam tenet, hic vero Imperatrici Russicae a Consiliis sanctioribus est, Dominis, qui semper gratiosissimos in me sese praestiterunt, & quorum Illustrissimorum Nominum semper viam obedientissimus deuotissimusque cultor. Ad patriam reuersus sedes, matrem ad secunda vota transiisse & Viro summe Reuerendo, Superintendententi & Sacri Ministerii Gottingensis Seniori, Ioanni Ernesto Appuhn,

nup-



nuplisse comperi. Gottingam itaque profectus & matrem tres per annos non visam incolumem atque in tremendo strepitu armorum bellorumque perniciosissimo, quod, vt recens illius memoria adhuc nobis constat, diu hasce regiones deualtauit, seruatam reuidi, & patrem inueni, Virum cum ob doctrinam eruditionemque insignem, tum ob morum suauitatem animique praestantiam summa laude, veneratione, amore, profecto dignissimum. Omne postea tempus, tam heic, quam Hannoverae, in repetitione studiorum iuridicorum, in Russia neglectorum, & in addiscenda praxi iuridica, in qua Clarissimum doctissimumque Arenhold, Aduocatum celeberrimum, Fautorem optimum, Hannoverae ducem nactus sum, consumsi. Quum deinde auuculus filios in hanc Musarum inclutam sedem ante nouissimum semestre mitteret, me adit, vt illis, quantum in me foret, in studiis iuridicis rite instituendis praessem & saltem per priores sex menses collegia cum his carissimis mihi cognatis repeterem; id quod ei, cuius tanta in me sunt merita, negare neque volui, neque potui. Lubentissimus igitur hoc munus suscepi, atque eo pro optimis, quibus licuit, viribus, perfunctus sum. Anno 1758. edidi Hannoverae *den glücklichen Gelehrten* & 1762. tractatiunculam Germanicam, in primum academiae huius ab hostibus liberatae anniuersarium celebratum sub nomine *Kusnaezow* conscripsi. His omnibus peractis ab Instituto huius Academiae Iureconsultorum Ordine ea, qua fieri debet, obferuantia expetii, vt honores doctorales, consueto Examine praemisso, quod die 17. Aprilis subii, mihi contere dignaretur.

In eo dignum omnino cupitis honoribus se praestitit elegantia morum non minus, quam virtutis ac eruditionis laude, conspicuus Candidatus, cum insignes in vtroque iure profectus Ordini nostro maxime adprobauit. Quae igitur ab hoc ipsi tam praecclare merenti decreta sunt strenue in castris Themidos enauatae operae praemia, eidem proximo die Saturni a me tribuentur, postquam, praec-





praemissa ad L. 14. C. de *Aduocat. diuers. iud.* lectione  
cursoria, dissertationem suam inauguralem de *Variis le-*  
*gum posituarum speciebus, earum interpretatione & ad*  
*facta occurrentia adplicatione*, publice tuitus fuerit.  
Quem actum vt MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR,  
ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES, PROFESSORES OMNIVM  
ORDINVM CELEBERRIMI, HOSPITES suis quisque ELOGIIS  
AC TITVLIS CONDECORATISSIMI, & CIVES inprimis IL-  
LVSTRES, GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQVE exoptatissima  
praesentia sua exornare velint, obseruantissime ac hu-  
manissime peto atque contendo. P. P. in Academia Ge-  
orgia Augusta die xxviii. Iunii clo Idcc LXIV.



praesentibus ad L. C. de Kassel: dicitur, in hunc  
causis dissertationem hanc inauguralem de L. C. de  
suis postularum fuerit, quae in hunc modum  
de ecclesiasticis, ad hunc modum, publice  
Quae etiam ut magis et ad hunc modum  
LEVATISSIMI S. R. I. COMITIS, PROFESSORES OMNINUM  
ORDINUM CETERORUM, HOSTES HUIUS DISCIPLINAE  
AC TITULI CONDECORATISSIMI, & CIVIS IMPERII  
LITTES, GENEROSISSIMI, NOTISSIMIQUE, ERUDITISSIMAE  
praesentibus huiusmodi velint, oblationem et hanc  
manu hinc pro hunc comendo, R. P. in Academia  
die VIII. Augusti, die XVIII. Iulii, cl. 1721. XIV.



112 f




ULB Halle  
004 327 837

3



f  
56







*G. 12. num. 17.*  
*1764, 2. 15*

ORDINIS IVRIDICI DECANI  
**GEORGII HENRICI  
AYRERI D.**

AD  
VIRI PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE  
**CHRISTOPHORI SCHMIDT  
DICTI PHISELDEK**

NORDHEIMENSIS  
**SOLEMNIA INAVGVRALIA**  
INVITATIO.

---

PRAEMISSA EST  
DE  
**CONSVETVDINE LEGEM VINCENTE**  
BREVIS COMMENTATIO.

---

GOTTINGAE  
EX OFFICINA SCHVLTZIANA  
M DCCLXIII.

